

proprietatis jure ad sanctum Leodegarium pertinuisse, et sancto Nazario ab eodem fuisse collatam.

Nicolaus Imblot Augustodunensis Ecclesiae praefectus, in indice quem Demochari suppeditavit, sancti Leodegarii successores sic recenset: Projectus seu Prajectus, Nерminarius, Aubertus. Eosdem et eodem ordine enumerant Chenutius et Robertus. Severtius ordinem immutat; Hermenarium Prajecto seu Projecto praeponit, huic vero Aubertus subrogat. Hic postremus est Ansebertus, de quo alibi. Ad Prajectum vero quod spectat, ex ejus Vita constat cum Arvernensem, non Augustodunensem praesulem et vixisse et mortuum fuisse; inde porro error videtur exortus quod in vigilia Paschæ sanctus ille episcopus

A missarum solemnia celebravit in sancti Symphoriani aede, rege proceribusque assistantibus; ac ipso sacratissimo die, Leodegario ac Hectore fuga dilapsis, rogantibus episcopis, qui tunc *Æduæ* erant plurimi, reliquum peregit officium. Aliquid vero similius dixissent si Bobonem in Leodegarii locum intrusum fuisse asservissent; de eo enim sic anonymous, num. 10: « Waimerus et Dido cuidam Boboni, qui nuper cum anathemate fuerat de episcopatu Valentinæ urbis dejectus, Augustodunum assignaverunt in dominium, imo potius devastandum. Cives vero oppressi receperunt adversarium qui jam pastorem amiserant suum. »

## SANCTI LEODEGARII VITA

AUCTORE URSINO ABBATE EJUS EQUALI.

[Ex Mabill., Acta SS. ordinis S. Benedicti.]

### PROLOGUS AUCTORIS

#### AD ANSOALDUM EPISCOPUM.

Domino meo sanctoque pontifici Ansoaldo præsuli Pictaviensi Ursinus peccator.

Jussioni obtemperans vestræ parui, beatissime papa, insistente maxima ex parte Audulfo Patre monasterii B. Maxentii, ut de vita vel passione B. Leodegarii pauca de multis ejusdem bonis scribendo narrarem. Quod opus tuis imperiis obsequendo edicere cupiebam, sed simplicitas cordis mei et iners facundia non valet explicare tanti viri laudes virtutum. Cujus patientia modernis temporibus quanta sustinuit retrorsus, quæ nemo novit nisi ille solus cui protulit intrinsecus. Qui occulis latibulis privatus oculorum acie, quid et quantum egisset boni quis enarrare possit, ubi nec assistebat minister qui hoc cernere valeret, ut quod oculis non videbat narrare quivisset? Nam finis operis ostendit extrinsecus quanta intus latendo fuisse operatus. Tamen in quo agnita ejus mihi vita fuit et multorum relatione comperi, quamquam rustico sermone, vobis imprudentibus, dicere non distuli. Si quid quibusdam longius verbis propagare studui, ad disserendam veritatis lineam hunc tramitem posui: sin vero de ejus virtutibus aliiquid prætermisi, nec studiose gessi, quin vero ignorantia intermittendo præterii. Hoc etenim sciendum puto, quia quamvis quisquis alti sermonis eloquentia ejusdem viri Dei acta disserere cupiat, apertius et absque fallacibus verbis fieri non valeat. Et forsitan valueram et ego annuente Deo clausis ac ab aliquibus incognitis verbis narrare: ideo autem nolui, ut quique rustici et illitterati hec audierint intelligent, et devoti appetant ejus

B imitari exempla cujus intellexerint audiendo miracula.

### INCIPIT PASSIO EJUSDEM.

CAP. I. *Leodegarius tum in palatio, tum in avunculo domo informatur.* — Igitur beatus Leodegarius ex prugenie celsa Francorum ac nobilissima exortus, a primævæ ætatis infantia a parentibus in palatio Lothario Francorum regi traditus, ab eodem vero rege non post multum temporis Didoni [Al., Dudoni] præsuli Pictavensis urbis, avunculo scilicet suo, ad imbuendum litterarum studiis datus est. Quem idem præsul cuidam Dei sacerdoti, viro eruditissimo, ad erudiendum tradidit; quem per annos plurimos magnis curis edocuit, edoctumque pontifisci reddidit, receptumque secum in suis cubiculis [Al., cum suis cubiculariis] sub custodia disciplinæ retinuit, ut quemadmodum idem pontifex se castum corpore custodierat [Carnot. cod. add. et mente], eumdem quoque similem sibi effici voluit dicens ei, monendo summa frequentia, ut se virginem conservaret [Al., consecraret], et vas electionis in Ecclesia Dei dignum fieret, quoniam optabat [Al., oportebat] eum hujus civitatis post se esse episcopum <sup>a</sup>.

CAP. II. *Diaconus, post archidiaconus effectus.* — Sed cum ad hoc opus eum cerneret perspicuum, et cum fere viginti esset annorum, ad officium diaconatus electus est, atque ab ipso pontifice consecratus. Deinde non post multum temporis archidiaconus effectus, cura sub pontifice omnibus ecclesiis ipsius diœcesis est prælatus. Erat enim multum facundia honestissimæ deditus, statura procerus, inter plerosque pulcherrimus, aspectu decorus, eloquio suavis, ingenio acutissimus, prudentia providus,

D bundo doctrinæ fluenta pectore, quæ post congruenti in tempore mellito gutture aliis erudiendo ructaret. Quæ totidem verbis de Gregorio Magno a Paulo Diacono scribuntur: ex quo aliisque locis patet Codicem Carnotensem interpolatum esse.

<sup>a</sup> Hic Codex Carnotensis inserit nonnulla in hunc modum: « Inerat autem ei in parva adhuc ætate maturum jam studium, adhaerere scilicet dictis majorum: et si quid dignum potuisset auditu percipere, non segniter oblivioni tradebat, sed tenaci potius memorie commendabat. Hauriebatque jam tunc siti-

zelo Dei et amore servidus, perpetuæque virginitatis (ut erat monitus) custos. Scripturis sacris ac legum doctrinis simulque caponicis præ cunctis precellebat in parochia [id est dioecesi] quam regendam susceperebat habitantibus. Intantum vero apertissimus omnium seniorum ac coequalium ac subditorum erat, ut eloquentia sua placeret omnibus sibi colloquenteribus, ita ut moerentibus redderet letitiam, sceleris gerentibus disciplinam. Nam in parvi temporis spatio, sub pontificis scilicet imperio, magnam pacem providentia sui regiminis traxit Pictavensi solo.

**CAP. III. Abbas deinde.** — *In aulam vocatus, Aduorum creaturæ episcopus.* — Deinde cum quidam Pater ex monasterio quod est situm in honore beati Maxentii obiisset, jussu pontificis idem suscepit regendum: quod per sex fere annos strenue rexit, illudque magnis opibus ditavit. Sed cum juxta monita sui pontificis idoneum se prepararet, et clarus haberetur præ omnibus, tunc odor ejusdem suavitatis intantum processit, ut usque in palatium regis redoleret. Erat enim eodem tempore minor Lotharius cum Baltechilde matre rex regens Francorum regnum. Qui agnita ejus prudentia, cupientes eum secum habere in aula regia, petierunt pontificem ut suam ei daret licentiam secum inhabitare palatium. Qui statim jussa compleps, magnis rebus datum et sapientiæ floribus adornatum obtemperans eorum voluntati visus est destinare virum. Quem rex atque regina videntes honorifice suscepserunt, et in paucis diebus dulcia sua verba et bonitatem ostendit, intantum ut rex simul et regina, plerique pontifices et proceres, supra omnes eum in amorem susciperent. Et quia eum videbant dignum ad suscipiendum honorem, cunctorum consensu præcipui Francorum ad honorem pontificalem eum esse idoneum proclamaverunt. Quem ad hoc omnes electum, Augustoduni, quæ est Aduorum civitas, creaverunt pontificem.

**CAP. IV. Clotario mortuo favebat Childerico, contra Ebroinum Theodorici autorem.** — *Ebroino monacho facto Childerici aulæ præficitur.* — Quam cum <sup>a</sup> per annos decem strenue gubernaret, eodem tempore rex Lotharius, qui eum constituerat episcopum, defunctus est. Tunc idem præsul hæc audiens, concito cursu in palatium perrexit, ac cum suis similibus de rege tractare coepit. Qui audientes Hildericum Austrasiorum regem in adolescentia regnum juxta sui temporis ætatem optime disponentem, elegit quedam pars Francorum, volentes eum habere regem. Nam Ebroinus, qui major domus fuerat sub rege Lothario, Theodoricum germanum ejus cnpie-

<sup>a</sup> Ergo anno Clotarii principatus quarto, Christi 659, Leodegarus in sedem Augustodunensem assumptus est, siquidem Clotarius annos 14 regnavit.

<sup>b</sup> Nimurum abbati monasterii S. Dionysii, quod ex Vita altera constat. Attamen Hadrianus Valesius Theodoricum monachum factum negat, sed tantum in eo cenobio custodiri jussum esse affirmat, ibique exspectare dum conia incisa resceret. Valesii sententia favebat auctor anonymous; hic vero Theodoricus

Abat subrogare fratris in regno. Ipse vero Ebroinus erat tunc odiosus inter Francos. Et quia metuebant hujus ponderis jugum, quod per eumdem sustinebant sub rege Lothario, relicto ejus consilio Hildericum in toto sublimaverunt regno Francorum. Tunc Ebroinus videns se destitutum et pro nihilo sumum esse consilium, territus pavore regem petuit ut relictis omnibus vitam sibi concederet, et in monasterium abire permitteret. Cui deprecanti et domino Leodegario intercedente rex consensit, et in monasterium Luxovii illico destinavit ut monachus effici deberet. Rex vero Childericus confirmatus in regno, germanum suum Theodoricum <sup>b</sup> cuidam Dei servo conservandum ac nutriendum dedit. Idem vero sanctum Leodegarium pontificem super omnem domum B suam sublimavit, et <sup>c</sup> majorem domus in omnibus constituit.

**CAP. V. Post tres annos regi fit invitus.** — *Pascha perrigillum cum rege Augustoduni celebrat.* — Qui acceptis hujus regni gubernaculis, quidquid maxime adversus leges antiquorum regum ac magnorum procerum, quorum vita laudabilis constabat, reperit ineptum, ad pristinum reduxit statum. Intantum vero usquequaque omnia regna Francorum restituit, ut omnes se gratularentur regem sibi habere Childericum ac rectorem palatii Leodegarium. Cum hæc pene annis tribus cum decore magno agerentur, tunc adversarius, cuius est consuetudinis invidia conditionis suæ bona destruere, cœpit sodales suos quos secum elegerat idem pontifex habere socios gubernaculi, per invidiæ malum instigare, et inter ipsum et regem zizania discordiæ seminare. His itaque diebus jam eminebat celeberrimus Paschalis dies. Tunc flagitante pontifice ut apud Augustodunum urbem suam ipsum sanctissimum diem rex juberet celebrare, ille nequaquam renuens implere nititur votum deprecantis. Qui cum appropinquante jam die ad missarum solemnia celebranda quæ est sabbatorum (ut mos erat antiquis) quæ est in vigilia Paschæ, irent pariter <sup>d</sup>, et malum seminarium odili simul haberent absconditum; tunc instigator utriusque malorum accedens eidem pontifici dixit: Observa te, inquit, sancte pontifex, quia transacta celebritate missarum a rege scias te esse interficendum, quoniam semen nequam adversus te ab inimicis tuis, quemadmodum et in ejus corde jam quidem olim est seminatum, in hac nocte consummari est decreatum.

**CAP. VI. Sacris peractis clam abscedit.** — *Rege annuente Luxovium se recipit atque Ebroino reconciliatur.* — Quod audiens pontifex dissimulando distulit,

D abbatii conservandus ac nutriendus tantum dicitur datus.

<sup>c</sup> Hadrianus Valesius in Rer. Franc. lib. xxi, et post eum Carolus le Coïnte, ad ann. 670, *Majorem domus* hoc loco *consiliarium* interpretantur: contenduntque majoratum domus regiæ fuisse laicam dignitatem quæ pontifici minime conveniebat.

<sup>d</sup> In Vita altera rex cum Leodegario Pascha celebrare noluisse dicitur, sed cum Marcellino recluso apud S. Symphorianum id celebrasse.

et se letum ostendit, nec pro magno ducens apparet vultu clarus, et solemnia missarum que cooperat honestissime consummavit. Sed communionem sanctam cum ipse ac rex percepissent, rex ad palatium pergens abiit pransurus: pontifex vero cum suum perconsummasse officium, et merum cum suis accepisset, sicut est fragilitas humanae, metuens animositudinem regis, tractare cum suis coepit quid in hoc conflictu agere deberet. Cogitans et orans ad Dominum consilium reperit melius ei esse omnia relinquere et Christum sequi quam locum regi dare, et manus regis sanguine sacerdotum in tam magnode festo coinquinari, ne forte fieret regni Francorum opprobrium, et per se unum hominem in tota plebe fieret disceptatio. Tunc relicto rege et omnium potestatum sublimitate, pro nihilo reputans quod. B habetur in mundo, eadem nocte procedens cum paucis ire coepit ubi pauper Christi fieri potuisset. Illo rex audiens contrastatus est valde, ac morens quemdam ex suis fidelibus cum exercitu magno post ipsum misit. Et secutus eum per totam noctem illam diluculo reperit, et juxta jussum regis eum reduxit. Ipsoque pontifice deprecante, ad Luxovii cœnobium ut ei liceret relicto sæculo vacare Deo, humili poposcit prece se dirigendum: quem protinus illuc dirigere non distulit. Qui festinus in monasterium perveniens, ibidem Ebroinum jam clericum [Id est, monachum] invenit, dicens se aliquid [Al., graviter] in eo peccasse; vicissimque veniam petentes steterunt concordes. Jubente tamen abbatे se-juncti, aliquod spatium temporis utrique pœnitentiā agentes, inter contubernia monachorum strenue habitare quasi perpetui monachi conati sunt.

CAP. VII. *Childerico mortuo, in sedem suam reveratur Ebroino comite.* — Per idem tempus Hilderico rege defuncto, ejus germanus Theodosius in regno sublimatur. Hæc audientes utriusque amici, desiderantes aspectum eorum cernere, cum favore magno vota compleentes ad propria nuntiuntur reducere, pergentes de utrisque partibus ad supradictum monasterium cogebant eos procedere et ad eorum domos remeare. Qui angore multum aestuentes, tandem dilectionis amicitiarumque gratia, quia fatigati spatiis terrarum longevis valde fuerant, consentientes acquieverunt deprecantibus. Cum benedictione quippe Patris monasterii ipsius conglutinati pacis concordia, procedentes venerunt simul Ebroinum scilicet cum pontifice Leodegario ad civitatem suam Augustodunum. Quam rem tota civitas audiens suscitata est in gaudium: et cives procedentes obviam receperunt eos cum gaudio et magno tripudio letantes, eo quod receperissent Patrem, quem amisisse plangebant olim gubernatorem. Quem receptum collocaverunt in sedem pristinam, ut frueretur cum suis letitia. Qui cum simul letati summo gaudio tripudia-

A rent, cupiebat in crastinum dictatum Ebroinum cum magnis honorum muncribus ad propria destinare. Idem vero Ebroinus non est passus suos vel modicum requiescere, sed fugaciter noctu ab hac abscessit civitate, et cum Austrasiis quos aliquando habuerat adversarios, se sociavit ut amici. Sed non post multum temporis multis sceleribus gestis, collectis sibi majorum sociis, Francorum per viam penetravit fines: et cum tyrapide crudelissime se gerens, Theodorici gloriosi regia se presentavit obtutui, atque ab eodem rege restitutus est in priore gradu.

CAP. VIII. *Ebroinus restitutus de perdendo Leodegario cogitat.* — *Ædua urbe obessa, inimicis obviam procedit Leodegarius.* — Et cum major domus effectua esset, cogitare coepit de ultiione inimicorum qui eum noluerant habere subregulum. Qui ut leo rugiens inter cæteras feras, resonuit rugitus ejus per Francorum terras. Omnes vero qui adversus eum olim cogitaverant mala tremefacti, qui remanserant ex ejus caede perrexerunt in fugam. His itaque diebus vir Dei Leodegarius cum ad suam plebem restaurandam resideret urbe sua Ædua, reminiscens Ebroinus malorum omnium quæ circa eum cum rege Hilderico egisse illum putabat, tunc adjunctis sibi nequissimis inimicorum sociis consulere coepit quicquidmodum eundem pontificem destruere potuisse. Ex his consiliariis duo, videlicet <sup>a</sup> Diddo et Waimerus, ex nomine caput effecti malitia, dixerunt se posse eum rapere de civitate et in eum facere vindictam, ex qua malitia Ebroini esset satiata. Gavisus itaque Ebroinus de eorum responso dedit eis exercitum copiosum valde. Qui festini perrexerunt ad civitatem Æduorum, et circumdantes eam eodem exercitu devastabant circa muri circuitum. Hec vir Dei prospiciens, zelo magno accensus super plebe sibi commissa, Domini secutus exemplum, animam suam malens ponere pro ovibus suis, easque cupiens lucrifacere, quam suam temporalem querere salutem, omnem clericum civitatis aggregare jussit, et cum reliquiis et crucibus et choris psallentium obviam abiit cum Dei laudibus suis inimicis, et sponte se obtulit ad palmam martyrii, si voluntas non defuisse percussoris.

D. CAP. IX. *Oculis privatitur.* — *Biennio in monasterio detinetur.* — Qui autem venerant ad eum puniendum, absque reverentia reliquarum eum comprehendenderunt. Qui exclamans fertur dixisse: *Gratias ago Deo omnipotenti Redemptori, qui me dignatus est hodie glorificare.* Qui pergentes duxerunt eum extra civitatem, et implentes iussa principis Ebroini, eruerunt oculos ejus a capite. Sed cum ei lumen sustulerunt forinsecus humanum, intrinsecus incluserunt divinum. Et tradentes custodibus in quoddam eum perduxerunt cœnوبium, in quo latuit per annorum cir-

<sup>a</sup> Dido seu Diddo in urbe Cabilone quondam habuerat principatum, » Waimerus vero dux Campanie erat, uti dicitur in Vita altera, postea episcopus Africassinus, ex Vita S. Prejecti episcopi. S. Berch-

rius abbas Dervensis adiens Hierosolymam, fertur duxisse secum Wainerum tormentorum S. Leodegarum, » inquit monachus Dervensis in lib. Mirac. S. Bercharii, num. 41.

eulum duorum, ibique magnum reliquit humilitatis excessus exemplum et patientiae.

**CAP. X.** *Cum fratre accusatur coram rege ab Ebroino.—Calumniis impositis respondent.* — Eodem tempore ejusdem germanus Gairinus [Al., Warinus] nomine, qui ob metum supradicti Ebroini cum aliis quos fugaverat ex Francorum proceribus Waceorum [*Id est, Vasconum*] lustraverat partes, jussu regis gloriost Theodorici ac principis Ebroini decretum est ut ad palatium reverteretur. Tunc etiam beatum Leodegarium ex monasterio in quo tenebatur absconditus egredi et in presentiam regis jussum est accersiri. Qui cum simul conjuncti et obtutibus principum fuissent oblati, multis contumeliis affecti et opprobriis ab Ebroino susceptis respondisse feruntur [Al., conjicitur]: Haec digne patimur, quia Dominus peccavimus; sed major est ejus clementia qui nos dignatus est vocare ad talem gloriam. Sed tu, miser Ebroine, qui tantam poenam ingeris Francorum genti, potius in te ulcisceris, qui vitam alias auferre cupis. Multos equidem decepisti, et exsules a solo paterno fecisti; sed magis tu exsulabis, quia et temporalem et futuram gloriam cito perdis: quoniam dum copis superare omnes habitatores in tota Francia, tuam potius auferas quam indignas acceptasti gloriam.

**CAP. XI.** *Guarinus, acceptis fratris monitis, lapidibus obruitur.* — Tunc audiens haec Ebroinum, furore magno repletus, jussit ministris Gairinum abstrahi et a germano suo separari, ut separatum viderentur peniri, ne simul eos delectaret talia verba fari. Cum autem duceretur, beatus Leodegarius eum alloquitur dicens: «Aequo animo esto, frater charissime, quoniam oportet nos haec pati, quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis (*Rom. XIII.*). Peccata etenim nostra multa sunt, sed misericordia Omnipotentis supereminet magna, quae ad abluenda delicta se laudantium semper est parata. Haec ad tempus patimur, quia morti debitores sumus, sed illa nos expectat vita, si patienter ferimus istam poenam, ubi sine fine letabimur in coelesti gloria.» Tunc ministri ad stipitem legatum Gairinum lapidibus obruere coeperunt. Ille vero Dominum deprecabatur dicens: Domine Jesu bone, qui non venisti vocare justos sed peccatores, suscipe spiritum scripsi tui; et qui mihi dignatus es in similitudine martyrum lapidibus vitam istam mortalem auferre, jubeas clementissime veniam scelerum meorum tribuere. Haec dicens, orando ultimum efflavit spiritum.

**CAP. XII.** *Leodegarius jussu Ebroini dire matitur.* — Beatus itaque Leodegarius cupiebat cum germano suo vitam finire, ut simul mererentur futuram vitam ac beatam participare. Sed Ebroinus differre volens ejus exitum, ut per paenas longe dilatas ei prepararet aternas, et ne coronam acciperet martyrii, quin potius careret premiis gloriae sempiternae, jussit cum nudis gressibus per quamdam piscinam transduci, in qua erant petrae sicut

A clavi incidentes acuti. Deinde terre prostrato incidere linguam labiaque præcepit, ut dum oculi ablati, pedes jam forati, lingua ac labia incisa, et dum a se cernebat omnem felicitatem membrorum ablata, corporisque pariter vires undique parvissent negatae, dum nec oculis cerneret viam, nec pedibus incederet callem, nec linguæ officio laudare quiret Creatorem, ac per hoc incideret in blasphemiam desperans, auferendo sibi salutem, quam laudando ecclitus adipisci meruisse ingentem. Sed qui absque vocibus cordium est auditor Deus, magisque cor contritum quam elatione superbum complexatur, suscepit vocem tacantis magis quam elate loquentium; postulantis sibi auxilium, non sono vocis, sed humilitate cordis. Nam cum se cognovisset presidium omne B amississe humanum, totis viribus sibi petuit adesse divinum. Nam quantum impietas humana revocare eum cupit ab alto, tantum pietas divina sociare fecit eum cœlo.

**CAP. XIII.** *Fiscamnum relegatus, usum linguae recipit.* — Tunc Ebroinus quendam accersivit virum nomine Waningum, et ait: Accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidisti virum tam superbum, et constitue sub tua custodia. Erit enim tempus sue vocationis, ut recipiat quod meretur a suis intemnicis. Tunc acceptum ad suum perduxit cenobium, quod vocatur Fiscamus, ubi erat congregatio sanctimonialium virginum, quibus præerat Childomerga famula Christi: in quo multis diebus conversans C habitator stetit sub custodia. Nam et lingua præcisa solitum recepit officium, et magnum doctrinæ sue semen ostendit in populo. Quandocunque inter virginum accederet catervam, tanta (ut fertur) dulcia sua fulgebant eloquia, ut mirarentur quicunque audientes, quanta Dei operata sit clementia, et conversi a pravis operibus velociter peterent paenitentiae fructus. Nam diebus ac noctibus in Dei cultu pervigilans astabat, ut vel paululum ad necessaria corporis vix aliquando ab ecclesia procederet, vel quippe somni ac ciborum perceptionem capere potuisset.

**CAP. XIV.** *Eius vexatores dant panas.* — Eodem tempore vir gloriatus Theodosoricus rex et idem Ebroinus synodum convocarunt, et ad quendam villam regiam venientes, multam episcoporum turbam adesse fecerunt. Ibi inter ceteros Diddo, qui sanctum virum Leodegarium cum Waimero expulit de sede sui episcopatus, et paenam tradidit illectus, condemnatus ab ipsa synodo calvariam accepit in capite, et expulsus segregatur a sancta congregatione. Deinde exilio condemnatus, morteque secuta paena capitis gessit quidquid dolose in sanctum virum exercuit. Alii vero episcopi tunc a rege per Ebroinum in ipsa synodo pene similem sortiti paenam, perpetuo exilio sunt deputati. Waimerus etiam similem exceptit sententiam cum ceteris. Tunc Ebroinus dixit ad beatum Leodegarium: Quid tantos persuades loquendo? Martyr esse suspicaris, ideo te tam temerarium ostendis. Adhuc multum, inquit, dilataberis,

frustra tale desideras habere præmium. Nam ut me rueris ita eris accepturus martyrium. Optabat enim eum funditus extingendum, ut quia a sæculi gloria jam videbat consumptum, revocare potuisset saltem a meritis sanctorum. Nam unde eum putabat abscidi, inde potius eum faciebat Christo quem desiderabat adhærere, quia quantum protendebatur ejus poena, tanto magis ei augebantur præmia.

**CAP. XV.** *Chroðberto traditus, cælico lumine illustratur.* — Tunc tradidit eum cuidam viro Chroðberto [Al. Ruotberto]. Accipe, inquit, eum sub magna custodia servandum: adhuc namque tempus veniet mortis suæ. Acceptum eumdem cum ad suam domum dederet, cernens eum ex itinere ac infirmitate defessum, jussit ei dari ad refocillandum potum. Ante quem cum pincerna assisteret, lumen magnum quasi in rotæ circulum e cœlo descendens super caput ejus resulxit. Tunc trementes omnes qui hoc signum viderunt: Quid est hoc, inquiunt, domine, quod paret super caput tuum quasi in circuli modum lumen splendidissimum emissum de cœlo? nunquam a nobis simile est visum. Ille protinus in terram cadens adoravit dicens: Gratias tibi, omnipotens Deus, consolator omnium, refero, qui super servum tuum ostendere dignatus es tale miraculum. Tunc videntes omnes quasi in excessu mentis sunt positi, sed tamen spiritu resumpti, simul glorificantes Deum omnipotentem conversi sunt alter ad alterum dicentes: Vere hic homo servus Dei est. Et pollicebantur ad Deum prorsus totis tendere viribus. Tunc deinceps ejus prædicationibus pene omnes parentes, conjux ac familiæ domus ejus sunt conversi ad Dei cultum; ac per hoc ejus famam audientes per circuitum loci concurrebant ad eum, verbum salutiferum audire cupientes. Ille vero non cessabat sua prædicatione cunctos instruere, qualiter ad regna cœlorum valerent pervenire.

**CAP. XVI.** *Equites quatuor ad necandum sanctum mittuntur.* — Sed non post multum temporis cum jam Deus omnipotens pro tantæ patientiae dono decrevisset remunerare suum fidelem famulum, Ebrouinus jam obstinatus crudelitatem suam volens in eum perficere, velocissimos post eum emisit equites nimium perniciosos qui eum morte perimerent. Qui venientes suscepserunt eum de domo viri cui fuerat traditus ad custodiendum, et ducentes eum per loca incognita usque in quandam locum in quo substitutus inquiens: Non necesse habetis, filii, longius fatigari: ad quod venistis cito facite ut impletatis votum malgui. Hi vero qui venerant ad eum perimendum erant quatuor numero. Tres etenim ex his provoluti sunt ad pedes ejus, deprecantes ut eis indulgentiam a Deo daret, et benedictionem suam super eos dignaretur tradere. Quartus vero superbus [Wadardus] astabat evaginato gladio paratus ad eum interimendum.

**CAP. XVII.** *Oratione facta capite plectitur.* — *Sarcini sepelitur.* — Verum postquam benedictionem suam super eos tradidit, et suis intersectoribus verbum Dei annuntiavit, tunc vir Dei incumbens orationi ait:

A Domine Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, per quem notitiam tui accepimus, Deus virtutum et omnis creature creator, ac totius generis humani redemptor, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis diem perducere. Rogo deprecorque, Domine, ut ipse mihi jubeas misericordiam pietatis tuæ largiri, et meritis sanctorum tuorum me dignum facias participem et vita æternæ consortem: et tribue indulgentiam his qui me tribulant, quoniam pereos in conspectu tuo credo, clementissime Pater, glorificatus fieri. Cum haec dicere, percussor extendens manum, evaginato gladio amputavit caput ejus, et corpus ejus substitisse erectum, quasi unius horæ spatio dicitur. Sed dum non statim eum cadere gladiator cerneret, ipsum pede percussit, B ut sic citius in terram decideret. Sed non multo post percussor ejus arreptus a dæmonibus et mente captus ac Dei ultione percussus in ignem se projectis ibique vitam finivit. Tunc jussu conjugis bujus viri Chroðberti in quandam villam Sarcingo [Sorcín] nomine cum magno fletu plangentium a ministris deportatus est hujus feminæ decreto, cum vestibus in quibus trucidatus fuerat, in parvulo oratorio beatus martyr est sepultus. Hoc vero die sexto [Al., quinto] Nonarum Octobrium actum esse creditur; in quo sepulcro annis duobus et dimidio humatus fuisse dicitur.

#### INCIPIT TRANSLATIO EJUSDEM.

**CAP. XVIII.** *Miracula ad sepulcrum facta.* — *Funes sacrilegi, omnibus restitutis, puniuntur.* — His itaque diebus sacerdos quidam, qui hujus oratori fungebatur officio, lumen splendidum absque ministerio humano in eodem cognovit noctibus falsisse loco. Unde rumor magnus emanavit in circuitu loci hujus. Verum venientes ad hujus beati martyris venerandum oratorium, multam turbam languentium diversis infirmitatibus detentos sanavit, claudis scilicet gressum dedit, cæcis lumen tribuit, obsessos a dæmonibus mundavit, multisque virtutibus in hujus loci martyr venerando habitaculo emicuit. Hoc itaque ejusdem ecclesiæ attestatur sacerdos. Nam et hujus sacerdotis minister clericus et ipsius ecclesiæ custos quadam nocte latrocinium passus est, ita ut a latronibus omnis substantia sua fuisset ablata, inter quam caligulam beati martyris, quam pro reverentia sibi habebat absconditam, latro nesciens secum deportavit. Qui mature ab oratorio consurgens et ad domicilium suum pergens, invenit omnia sua furata. Festinus igitur pergit ad hujus viri sepulcrum, deprecans ut ei redderet quod furtim perdidera. Nam tota illa die et sequente nocte in oratione ad ejus tumulum jejunans et psalmodiæ insistens astabat. Cum vero expleta oratione ad suam cellulam remeasset, omnia que perdidera et nihil ex eis diminutum cum caligula beati martyris salva invenit. Dominus vero latronis, qui pro servo jurejurando juraverat quod nequaquam hoc malum egisset, reversus domum vitam finivit; servus vero scelus quod fecerat male consummavit.

**CAP. XIX. Ebroini explorator impius pœnas luit.** — *Ebroinus etiam ipse.* — Tuuc magis magisque fama sanctitatis beati martyris late prorupit, quæ paulo post per ea quæ gesta sunt Ebroino non latuit. Quo auditio, nuntium misit occulte, qui hoc inquirens studiose sibi vera nuntiaret. Qui nuntius jussis ejus obtemperans ad ejus accessit tumulum : et interrogans diligenter, a custode didicit ubi sanctum corpus requiesceret. Sed accedens orationi distulit incumbere, quin potius despiciens hunum pede percussit et stulte loquitur dicens eo quod nesciret virtutem Dei : Etenim, inquit, mortuus virtutes nequaquam facit. Nam miser reversus priusquam renuntiaret huic a quo missus fuerat, in semetipso cognovit quantum sanctus martyr virtutibus polleret. Dum vero iter carperet, illico vitam perdidit, et ei a quo missus fuerat minime renuntiavit. His itaque cognitis Ebroinus tacito corde retinebat, et tremens intra se verecundia præter conjugem nemini manifestare audebat, ne forte crescente gloria martyris, sua (qui tale lumen extinguere cupiebat) esset diminuta in populis. Nam his spatiis dierum quantum ille miser hoc bonum latere cupiebat, tanto magis ubique ruonor virtutum supradictarum beati martyris dilatatus radiabat. Transacto vero spatio pene annorum trium a semper lugendus Ebroinus, qui hanc lucernam nitus fue-

\* Idem habet anonymous auctor cap. 17: « *Transacto spatio trium pene annorum, » etc. Hinc annum quo sanctus Leodegarius obiit colligere licet. Ebroinus regni Theodorici anno 9 (si Sigeberto credimus), Christi 681 aut insequenti, extinctus est, et quidem post tres fere annos quam martyrio affectus fuerat Leodegarius : qui proinde anno Christi 678 necatus est, ut etiam Carolus Le Cointe censem. Hic calculus confirmatur ex eo quod Ebroinus palati præfecturam anno regni Theodorici primo iterato adeptus est, paulo post cœpit vexare Leodegarium, qui sub Waimeri Campania ducis custodia per biennium in quoddam monasterio detentus; postea Waningo commissus, « multis diebus, » hoc est annos fere duos apud Fiscannum exsulavit. Tandem post synodum anno Theodorici regis 6 (ut Sigebertus scribit) habitam, jussu Ebroini abductus est a Chrodroberto in pagum Atrebatensem, ubi paulo post capite percutiatur vi Nonas Octobris : ipso die in antiquis*

A rat extingue, sermo divinus in eodem impletur. Nam quia gladiis multos interemit, percussus gladio ipse periit. Infelix ac miser, qui tantis honoribus sublimatus, in tribus mundi partibus dilatata fama in duatriæ sue pollebat inter homines ; et quoniam noluit suis inimicis Dei mandatum implendo indulgentiam tribuere, eos ulciscendo multos ad regna cœlorum fecit ire. Quamobrem verendum valde est ut qui tantos sacerdotes ac proceres ultionis suæ crudelitate interemit, ne se potius æterne poenæ præparaverit. Et tam celsam quam nullus Francorum habere meruit gloriam perdidit, et beatam vitam, quam per patientiam adipisci quiverat, amisit.

**CAP. XX.** — Sed postquam infelix Ebroinus vitæ finem dedit, quod invidia ductus de Dei servo absconderat, magnis laudibus longe lateque percrebuit. Tunc perlatum est cum laude in palatum, quod multis diebus ab æmulo latuit absconsum. Erat enim ibi multitudo maxima episcoporum scilicet ac procerum, qui dum collationem de sancto martyre inter se haberent, et admirarentur quod de eo audiebatur, tunc vir miræ sanctitatis Ansoaldus antistes verbum intulit dicens : Utinam daretur mihi optio, et cetera, quæ ex Vita altera, cap. 17 et sequentibus, repetenda sunt.

Martyrologii (si Bedæ fastos excipias) commendatur, apud sincerum Usuardum hoc modo : « In territorio Adartensi passio B. Leodegarii Augstudunensis episcopi, quem variis injuriis et diversis suppliciis pro veritate afflictum Ebroinus major domus regia interfecit. » Ado vero : « In Atratis, villa Siricynio, passio B. Leodegarii, » etc., ut Usuardus, addito, « cuius sacrum corpus in dioecesi Pictavorum translatum, in monasterio B. Maxentii est humatum. » Adartenses seu Adarctenses vocabantur olim Atrabates ad Arctum, Ostrebates qui ad ortum, qui vero ad Austrum Aus rebates, uti Malhancus in lib. II de Morinis, cap. 57, recte observavit. Et tamen Sarcingum, Leodegarii sepulchra locus, uti et locus ubi necatus est, uteque vicus S. Leodegarii dictus (ille quidem ad fontes Alteæ fluvii, hic versus caput Quantie), Austrébatibus occidentalis est ; quanquam posterior locus, paululum ad septentrionein vergens, Adartensis attribui potest.

## SANCTI LEODEGARII VITA ALTERA AB AUCTORE ANONYMO.

### PROLOGUS AUCTORIS

AD ERMENARIUM EPISCOPUM.

Domino vere sancto et apostolica veneratione collendo Ermenario Augstudunensis urbis episcopo.

Persæpe a vobis jussus et spiritualium fratum flagitatione compulsus, gesta beati Leodegarii martyris atque pontificis tandem scribere sum aggressus. Ideo enim diu implere jussa vel petita distuli, quia duplicitam pœnam contra me videbam consurgere, unam ignorantiae caliginem metuens et ignavie, aliam prudentibus inde risu [risui] verens patescere. Oro

D ergo vestram fidem devotionem in primis ut meæ rusticitati veniam detis, et tantummodo quæ vobis placuit clam soli interim lectitatis, donec aut altiori sermone ea quæ nos vobis jubentibus usurpavimus reparatis; aut aliorum sapientum correcta iudicio irreprensibilis, quam post legalis, a vobis probata placeat dictio. Hoc autem specialiter peto ut vires ad hoc opus exsequendum, quas mibi conscientiae denegat imperitia, vestrarum precum solerti studio apud Dominum obtineant opportuni suffragia.